

in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis seu occupantium, set quod unus eorum vel plures inceperint, alii vel alius prosequi valeant et finire, plenam, meram et liberam potestatem, licenciam, facultatem, auctoritatem et speciale mandatum vice et nomine nostro et pro nobis plene et sincere coram sanctitate vestra, et ubicumque sanctitati vestre placuerit et visum fuerit expedire, confitendi, dicendi et proponendi omnes et singulos excessus et delicta per nos commissos factos et perpetratos contra felicis recordacionis quondam dominum Iohannem papam XXII., sanctam Romanam ecclesiam, legatos, officiales, ministros ipsius quoscumque ac terras ipsius quascumque et alias ecclesias et ecclesiasticas personas qualescumque; et specialiter delicta et excessus per nos commissos et factos ac perpetratos cum Petro de Corbario antipapa, Marsilio de Padua, Iohanne de Gianduno, fratre Michaele de Cesena et eorum sequacibus; item excessus per nos commissos per appellacionem per nos interpositam contra felicis recordacionis dominum Iohannem papam XXII. predictum et per dictos fratrem Michaelem de Cesen(a) et eius sequaces factam necnon alios omnes et singulos excessus et delicta, que vel quos fecimus, commisimus et perpetravimus contra quoscumque qualitercumque, quomodocumque et ubicumque verbis, dictis vel factis, persuasionibus, exhortacionibus, induccionibus, consiliis et auxiliis quibuscumque. Et cum hoc excusaciones nostras dicendi, faciendi, subiungendi et proponendi ac eciam vice et nomine nostro et pro nobis dampnandi et anathematizandi omnes et singulos errores dogmatizatos per Iohannem de Gianduno et Marsilium de Padua ac Michaelem de Cesena et eorum sequaces supradictos et quoscumque alios et specialiter dampnandi et anathematizandi articulos in constitutione 'Cum inter nonnullos' per ecclesiam dampnatos et omnes alias hereses et species heresum et errorum quorumcumque.

Item offerendi sanctitati vestre vice et nomine nostro et pro nobis super omnibus et singulis excessibus per nos commissis et per predictos procuratores nostros vel eorum aliquem vel aliquos confessatis nomine penitencie, satisfaccionis et emende passagium ultramarinum, monasteriorum et ecclesiarum construccionem^a et edificacionem necnon alias quascumque et qualescumque penitencias, emendas et satisfacciones ac easdem penitencias, emendas et satisfacciones una cum penitencia et penis quibuscumque vice et

a) 'm' über 's'.